



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Religioni Cisterciensi. Sub Patrocinio Reverendiſſimorum Perilluſtrium ac
Ampliſſimorum Dominorum Dominorum Abbatum, & Præpoſitorum Clari
Cisterciensium, Inferioris & Suoerioris Sileſiæ, Reverendiſſimi, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

RELIGIONI CISTERCIENSI.

SUB PATROCINIO

*Reverendissimorum, Perillustrium ac Amplissimorum Dominorum
Dominorum Abbatum, & Præpositorum Clari Ordinis Cisterciensium,*

Inferioris & Superioris Silesiæ,

Reverendissimi, Perillustris, ac Amplissimi Domini, Domini

B E R N A R D I,

Celeberrimi & Ducalis Monasterii Griffoviensis Abbatis,
Thermarum Hirschbergensium Domini & Præpositi, utriusque Silesiæ
Vicarii, Visitatoris Generalis, &c. &c.

Reverendissimi, Perillustris, ac Amplissimi Domini, Domini

J O A N N I S,

Famosissimi Cœnobii Lubensis Abbatis, Patris Immediati, &
Lignicii ad S. Joannem Præpositi perpetui, &c. &c.

Reverendissimi, Perillustris, ac Amplissimi Domini, Domini

M E L C H I O R I S,

Ducalis, & Nominatissimæ Abbatice Henrichoviensis Abbatis,
nec non Ducatus Monsterbergensis, & Territorii, vulgò Weichbildt, Fran-
csteinenensis Capitanei, &c. &c.

Reverendissimi, Perillustris, ac Amplissimi Domini, Domini

F R I D E R I C I,

Praclarissimi Asceterii Camencensis Abbatis, Præpositi in Warta,
Ducalis Judicii Monsterbergensis Assessoris Primarii, &c. &c.

Et

Reverendissimorum, Perillustrium, ac Amplissi-
morum Dominorum Dominorum Abbatum
Raudensis & Gimmelovicensis.

(Tit.)

Dominorum, Patronorum, ac Fautorum Gra-
tiosissimorum, Singularissimorum.

*Reverendissimi, Perillustris, ac Amplissimi
Domini, Domini.*

REs quælibet Domini manet, ubicunque est & fuerit, ei-
demque fructificat; Ex Regula Juris: Bernardum Vestrum Claraval-
lensem, Totius Religionis Cisterciensis, Totiusque Ecclesiæ clarum si-
dus, & solem septemplex gratiarum suavissimæ Scientiæ & Sanctitatis
radiis fulgentem, ex voluntate Reverendissimi Camencensis, in hæmi-
sphærio Vestro decurrens studia, meum feci & quasi in alienum horizon-
tem transtuli, transtuli, non tamen vobis abstuli, sed cum Aureo Aurelio & Magno Au-
gustino,

gustino, cum Acutissima Solari Aquila & subtilissimo Doctore Joanne Dunfio contuli, & Eum cum ipsis Parelum solem, non modò in dogmaticis, sed etiam in Philosophicis Paralellum, contra eos, qui eum solum Rhetorem fuisse calumniantur demonstrare volui, ut vel hinc discerentur animam excitarem, cum sua quæque magis placeant, quam aliena, juxta vulgatum, *Me mea delectant, te tua, quemque sua*; at qui ita in quantum licuit, pro temporis brevitate & mearum modicitate virum ex eodem sententias extraxi & passim Scholasticorum Opiniones & sententias roboravi, & illustravi, ut mei Philosophici Cursus Universi solem Jure compellârim. Non desinit tamen esse vester, licet inceperit esse meus in Universo meo, salva ejus substantia est, Domino hic fructificat; Redit igitur, imò humili hac dedicatione refero ad Dominum, qui fuit ante, suum. Sanè dico ad Dominum, licet enim Vestras Personas Reverendissimas singulas contemplanti grammatico errare videar, sed non curo quid dicant Grammatici dummodo intelligant Veridici. Ad Vos Reverendissimi Domini redit, tanquam ad Dominum, quorum est in omnibus *Cor unum & anima una in Domino*. Sive enim spectem, naturam & ad magna natam Indolem *Cor unum & anima una*, hinc etiam Ducatum, Principatum & Territoriorum estis vel Pro-Gubernatores, vel Assessores & Cancellarii, ab iisdemque ad Principes deputati; sive contempler liberalitatem, munificentiam, curam & diligentiam in promovendis studiis, *Cor unum & anima una*, nemo etenim Vestrum est, qui non suum Asceterium fecisset Musæum Philosophiæ & Theologiæ, providendo de optimis, in utraque facultate Professoribus. Sive admirer indefessos labores & Curas in restaurandis Conventibus, in meliorandis bonis, in vindicandis juribus, in ampliandis redditibus, *Cor unum & anima una*. Quam reflorescentiam & renovationem ad primævam Juventutem olim cum summa consolatione admiratus fuit Celissimus Princeps Sebastianus Budurgensis Episcopus; Estis profectò Reverendissimi Domini non Fundatores Primi, sed bis Fundatores Secundi; sive contempler Zelum & pietatem sive personalem, sive in domesticos fidei de ea propaganda, *Cor unum & anima una*. Testatur ingeniosum adinventum, quo Reverendissimus Dominus Grissoviensis errantes suos subditos ad ovile unum reduxit, quo Lubenensis è faucibus hæreticorum Ecclesiam unam eripit, quo Carnencensis Jura Patronatus & Advocatiæ in medio Infidelium tuetur & defensat; Nemo est, qui non amuletur ex Vobis Charismata meliora, certè possem dicere, Vos unam constituere Congregationem de Propaganda fide. Si perlustram Vigilantiam in Observantia Regulæ, in rigore Monasticæ disciplinæ, *Cor unum & anima una*, hinc est illa indefessa Chori Psalmodia, hinc fervens Prædicatio, hinc exempla bona & sancta, ubique Christi odor estis. Sive denique suspiciam fervorem quo diligitis decorem domus DEI & locum habitationis ejus, *Cor unum & anima una*, hinc ille Ecclesiarum splendor, hinc auro & argento refulgentia altaria, hinc ille pomposus ornatus, hinc parietes quadris artificiosissimis veluti aulæ vestiti, hinc summum ornamentorum omnimodorum pretium, ut nullus ea viderit, quin laudaverit, nullus laudavit, quin non summè fuerit admiratus, viderat ante annos non paucos Reverendissimus & Illustrissimus Nicolaus Buccherat Vester Generalis Abbas Pater, vidit, & obstupuit, Vosque verè Dominos non Abbates appellavit, optâsem adventum ejus in Vestra hæc tempora, aliam vidisset rerum faciem, aliam primæ materiæ formam, cælum quasi novum & terram novam. Ad vos igitur Reverendissimos Dominos tales ac tantos Abbates refero Solem Vestrorum ex Clara Valle ortum, refero, & cum eo duos alios Augustinum & Scotum, si vester gratus est hospes, ut ambigendum non est, grati erunt & Comites, juxta tritum, gratus hospes secum alium adducere potest; Non desiderant enim Vestrum mundum totum absque hoc luminosum, clarum, & lucidum magis illuminare & illustrare, sed à Vobis foveri, protegi, quod ego supplicans maneo

Reverendissimarum DD^{num}
Vestrarum

Minimus cliens

F. AMANDUS HERMANN.